Sigismundus dei gracia Rex polonie Magnus dux
Lithuanie Russie prussieque etc. dominus et heres

Magnifico et generoso Stanislao de Costzieletz palatino Juniuladislauien(si) et
capitaneo Georgio de Baysen palatino Marienburgensi et Capitaneo Brewen(si)
et iohanni Balynski Castellano gdanen(si) sincere et fideli dilectis gracia Regia. Magni
fici et generosi sincere et fideles nobis dilecti expositum est nobis in grauem querela(m)
nomine Reverendi in christo patris domini Fabiani Episcopi Warmien(sis) sincere nobis dilecti
quod licet superiori tempore speciali gracia et munificencia sua regia donauerint cum omni
iure et dominio ipsius ecclesie warmien(si) oppidum nomine Tolkemit cum suo districtu ac
certo numero stagnorum anguillarum kenthel nuncupatarum in litore maris recentis Hab
vernacula lingua appellati existentium Incolisque eiusdem oppidi Tolkemyt qui solis
piscacionibus aluntur et alio modo victum sibi comodius querere nequeunt piscari in
mari predicto recenti passim ubicunque liberum semper fuerit et naues predicte kenthelas
ecclesie Warmien(sis) sint tali prerogativa dotate quod ante omnes alias eiuscemodi naues
exponi et locari debeant oppidanique predicti de Tolkemyt racione subiectionis et fidelitatis
quibus ipsi domino episcopo Warmien(si) et eius Capitulo sunt astricti ad acceptandum
illius naues pocius quam alienas teneantur. tamen nihilominus Consules Ciuitatis nostre
Elbingen(sis) Jus et dominium in eosdem oppidanos sibi indebite vendicantes illos
non solum a piscacionibus in mari predicto et aquis ecclesie Warmien(sis) ac subditi
existunt prohibere verum etiam ad acceptandas suas proprias kenthelas non ipsius domini
episcopi compellere et nullas alias immunitas in limitibus aquarum ipsius illi inferre
debeant ac eundem dominum episcopum et eius capitulum quo minus kenthelas suas
exponant prohibere retrahendo incolas oppidi predicti ab eorum obediencia ac leges
statuta et seruitutes ad quas nulla racione obligari dinoscuntur penasque et onera
indebita pro suo arbitrio ipsis in grauamen eorum et dispendium oppidi predicti ac
non mediocre damnum et preiudicium ipsius domini Episcopi et eius ecclesie imponendo.
Supplicatumque est nobis nomine prefati domini episcopi Warmien(sis) ut benigna et
procundam racionem omnium predictorum habere aliquosque Comissarios nostros qui de
omnibus et singulis premissis cognoscerent et diffinirent illi dare et deputare
dignaremur. Nos itaque qui nolumus iura libertates bona et subditos ecclesiarum
in Regno nostro presertim vero Cathedralium erga quas propensiorem gerimus
affectum per quempiam in aliquo temere violari. annuentes iustis supplicacionibus
dicti domini episcopi volentesque tam illi et ecclesie sue quam eciam Consulibus et ciuitati
nostre Elbingen(si) occasione premissorum iusticiam debitam ministrari vobis de quorum
industria et integritate plurimum confidimus committimus presentibus mandantes ut pro
loco et tempore competenti simul conuenientes vocatisque ad se partibus predictis
auditisque earum proposicionibus et responsis hincinde ac deductionibus iuribusque
et documentis illarum mature examinatis cognitisque plene istius cause meritis
ac veritate rei cognita et comperta id quod equum et iustum fuerit super
ipsis prohibicionibus piscacionum in mari prefato coactionibus perturbacionibus et
impedimentis ac nauibus limitibus iuribusque et rebus predictis et aliis coram vobis
in hac causa proponendis decernatis terminosque et fines maris et aquarum predictarum
occasione quarum controuersia vertitur ad iustos et fixos terminos redigatis deum
et iusticiam pre oculis habentes. In quo vestras consciencias oneramus facturi

1512. 36

quemquidem decreverit per partes prefatas quemadmodum firmiter et inviolabiliter
observari faciatis pro officio vestro et gratia nostra. Datum in Brzestzie
lithuanico feria sexta proxima post festum Conceptionis gloriosissime Virginis
Marie Anno Millesimo quingentesimo decimo octavo Regni nostri anno
duodecimo

Commissio propria
Regie maiestatis

128

~~In causa aquarum cum Elbingen~~

Iura Tolkemit

In ca[usa] Tolkmiten[sium].